

DISSERTATIO INAUGVRALIS,
DE
ECISIONIBVS,
QVAE FIVNT
PRO AVTORITATE,

VVLGO:

Som Durchgreiffen



QVAM

DEO T. O. M. CLEMENTISSIME ADVENTE,
EX DECRETO

INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS,
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

PRAESIDE

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

DN. ERN. IO. FRID. *Wanzeln*,

IVR. DOCT. ET PROF. ORDIN. ATQVE AD h. a. DECANO
PRAECEPTORE ATQVE PROMOTORE SVO COLENDISSIMO

PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE IVRE IMPETRANDI
HONORES,

HORIS ANTE- ET POSTMERIDIANIS

H. L. Q. C.

DEFENDET

BYRCHARD. IOHANN. SCHULZ,

WESTENBR. MECKL. JVR. CAND.

ANNO R. S. MDCCLXI. d. XXI. MARTII.

ROSTOCHII, TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI,
SERENISS. PRINCIP. ET ACAD. TYPOGR.





I. N. D. N. ꝯ. C.

INGRESSVS.

SCribenda est Dissertatio inauguralis; Sed ad quam materiam me vertam, haereo. Practicum thema lubenter tractarem, sed versor adhuc in limine Academiae & Curiae. • Audivi & legi haetenus juris interpretes, junxi doctrinam universalium, cum ea, quae singularia enumerat. Incidit saepe, observanti decisiones legales, non omni exceptione majores, in mentem, quod novo Justiniano opus sit. Sensi tamen haud raro etiam, quod vitium

A

non

non fit in legibus sed in earundem interpretibus. Interdum Scientia, interdum Conscientia, videtur deficere. Fluctuanti igitur DOMINVS PRÆSES imposuit necessitatem, elaborandi thema, quod practicum quidem satis, sed mihi theoretico convenientius erat, quam si agendum fuisset de casibus quae trituras supponebant forenses. Putavit hanc tractationem ea propter mihi esse convenientem magis, quia in illa daretur venia meditationibus indulgendi.

Adgressus igitur fui opus; Sed sensi, quam difficulter scisso navigetur velo. BE-NEVOLVS LECTOR gratiosum de hac opella feret iudicium. Tracto autem thema: *DE DECISIONIBVS, QUÆ FIVNT PRO AVTORITATE.* Omnia equidem facit legislator & iudex ex autoritate, sed non omnia pro autoritate. Provoco ad usum loquendi. Addidi vocem: *Durchbreiffen*; Non mihi succurrebant alia vocabula, quibus exprimere poteram institutum. Si quis meliora & aptiora habet,
me

me lubens corrigo. Novi etiam quod vox germanica **Durchgreiffen**, quoque adhibeatur in casibus, in quibus apices equidem inveniri possent, si id mereretur objecti dignitas; Sed non primario de illis casibus meditor, quoniam rarius mihi talis modus procedendi placet. Substantivum **Griff** in Jurisprudencia suspectum est, verbi **greiffen** autem frequens & bona est acceptio: Praeter enim **Durchgreiffen** soepe auditur **das Aufgreiffen einer Sache**, quod fit in odiosis ut plurimum, & in iis litibus, ex quibus plurae possent generari lites, pluraque posito uno absurda. Si haec opella bonis non displicebit, forte aliquando assertiones similes faciam **vom Aufgreiffen**. Amplissima foret illa tractatio, quia materias de transactionibus, redemptione Vexae, processu summario invitis imperato, &c. &c.

sibi vindicaret. **DEVS** omnia fecit & faciat!



A 2

TRA-

TRACTATIO.

ASSERTIO I.

Jurisprudentia est habitus practicus, leges sciendi, interpretandi & applicandi ad casus emergentes.

SCHOLION.

De definitionibus saepe nimis subtiliter disputatur; Satis est, si definitum ita circumscribatur, ut, non nisi verborum captator, quem nemo facile effugere potest, aliud, quam de quo sermo esse debebat, intelligere queat. Veteres jurisprudentiam descripserunt per rerum divinarum atque humanarum notitiam, justique scientiam. Multas censuras passa est haec descriptio; Alii eandem superbiae accusarunt; Alii peccatum Logicum non unum illi imputarunt. In verbis firmus facilis, modo ita in re conveniamus, ut evitetur logomachia.

ASSERTIO II.

Habitu illo instructum dicimus *Jurisprudentem*, & Stylo politico, propter jura quaedam graduatis propria, *Jureconsultum*. Felix est ille, qui leges, per sapientiam ferendas, memoria tenet, ingenio interpretatur, & judicio applicat.

SCHOLION.

Jureconsulti titulus olim continebatur sub nomine prudentis, ceu testatur sexta vulgo species juris scripti Romani; Posteaquam autem Imperator Augustus non cuili-

cuilibet, qui eam habuit sui confidentiam, sed nonnullis tantum, jus & potestatem ex privilegio concessit, distinctio invaluit inter Jurisperitos & Jureconsultos; Illi ab eruditione, si eadem instructi, tantum laudari queunt, hi ope scientiae & ex Majestatis indultu Decisiones & Responfa concipiunt, nec semper videndum quid, quis intelligat, sed quid pro autoritate possit.

ASSERTIO III.

Successu temporis vox *Facultatis* invaluit, quae per se nihil aliud significat, quam vox *Potestatis*; Tandem integris Collegiis Academicis dedit inscriptionem, adeo ut *Facultas Juridica* sit Collegium aliquot virorum, a Statoribus Academicarum constitutorum, ut jura doceant, de jure respondeant & novos Jureconsultos faciant.

SCHOLION.

Historia Juris Romani sit bonus haestenus assertorum Commentarius. Leges erant brevissimae, ceu testantur illae, quas a Graecis petitas, tabulis XII inscribere Romani. Opus igitur erat viris interpretibus, qui praeter sensum simplicem, extensiones, ampliationes, limitationes, & restrictiones eruerent. Dicebant hinc optime: Leges sine Jurisconsultis esse non posse. Res clara est satis, artificium enim requirit artifices, qui, si sapientes & conscientiosi, omnino feliciter reddunt Rempublicam; Si autem fuerint Leguleji vel Rabulae, pestes erunt patriae emunctoresque Civium. Rabulae autem communiter appellant eos, qui armaturae levis sunt milites; Verum magis nocent Rabulae eruditissimi, quam illi qui cruda sunt

in fora protrudunt studia. Hos enim facile vincit fertia; Illi si flectere nequeunt superos, movent Acheronta.

ASSERTIO IV.

Quoniam igitur leges ita scribi non solent, imo non possunt, ut omnes casus comprehendant Jurisconsultis omnino opus est. l. 10. 12. ff. de LL. l. 2. §. 5. 13. ff. de O. J.

SCHOLION.

Quaeritur autem: An vana sit assertio illorum, qui putant, leges omnino ita concipi posse ut quasi ad Lexicon accedat iudex, & mutatis quasi nominibus Titiorum Caesorumve, applicet legem, casum, ut clamant, in terminis continentem. Ego credo quod si etiam per centum viros fierent pandectarum Volumina, plaustra satis onerantia, tamen foret impossibile, tale conficere Lexicon casuum. CICERO L. 1. de LL. scribit: *ita complectenda tota causa universi juris est ac legum, ut in parvum & angustum locum concludatur.* Num recte judicaverit, ambigo, res enim iudiciaria melior in qualibet republica constituta est, quo minus erit in arbitrio iudicis, ceu eleganter sentit Dn. ROMANVS, *diff. de artificio omnes in praxi casus rite enodandi & juris illata nuci velut includendi*, p. 4.

ASSERTIO V.

Nulla datur Lex, quae non postularet sagacissimum interpretem, quam clarissima etiam illa videatur.

SCHO-

SCHOLION.

Minima etiam circumstantia variat rem & semper videndum, num casus lege contentus, quem sibi Legislator repraesentavit, vere sit talis, qualis in facto moderno occurrit. Pari hinc iudicio opus est in interpretatione simplici, quam & declarativam appellant, quam in restrictiva & extensiva. Operam interpreti summam e. gr. facere potest divinus Decalogus. Succincta & nervosissima sunt verba, ast amplissimi sunt ambitus; Speciatim praecepta, quartum, quintum & sextum juridicum interpretem requirunt, & quidem talem, qui acumine pollet. Ideam Magistratum, & quorumvis praepositorum quaesere in quarto haud quidem adeo longum videtur; Sed quintum ejusque pistillum: *Wer Menschen Blut vergeußt, exercet viros*: Sextum ab interpretibus partim simplicibus, partim malitiosis, lubenter corrumperetur, ceu unica etiam illa infamis controversia: Num scortatio simplex sit peccatum, testabitur. Sane vel solus ad sextum Praeceptum commentarius vastum requirit librum. Ex his assertis patet, quam incaute dicatur interpretationem cessare imo calumniolam esse in claris vid. B. SCHROE-
TER de *interpretatione Juris* reg. 13.

ASSERTIO VI.

Legislator & Jureconsultus, arctissimum inter se habent nexum, quia sine utroque Respublica regi non potest.

SCHOLION.

Lex, sine Jureconsulto, est vox mere generalis & lubrica, & Jureconsultus sine lege, in ipsum degeneraret Legislatorem, quod nefas, minimum periculosissimum foret. Multi enim sunt Thyrsigeri pauci Bacchi. Rei-
publi-

publicae male esse, per tot artifices Jureconsultos, sunt qui putant. Provocant ad regna & provincias in quibus non dantur tot strepitus secundum artis regulas; Sed distinguatur inter doctrinam & Doctores. Quis diffitebitur in hoc idem studio deprehendi, quam quod datur in Theologia, in qua dantur mille dissensus inter interpretes S. Scripturae. Fiat interpretatio fidei analogae, monente Apostolo; Jureconsultorum sit juri analogae, non captiosa vel nimis subtilis *l. 19. §. 1. de jure dotium*. Legantur omnino B. BERGERI *Diss. de Logomachiis in Jure*. Cogitetur etiam de litibus super numerum advocatorum restringendum & in genere legantur scripta von der Verbesserung des Justiz-Wesens. Speciatim volvantur meditationes LEIBNIZII *Art. Combin. p. 27.*

ASSERTIO VII.

Erubescat Judex sine lege loquens.

SCHOLION.

Dicunt cum SVRDO: Legem quaerere ubi est ratio naturalis, esse infirmitatem intellectus; Verum est sophisma: Aliud enim est sine lege, hoc est sine auctoritate, juris naturae, divini & humani; Aliud nunquam sine recitatione textus, etiam in vulgatissimis, aliquid eloqui. Posterius Pedantismum saperet; Prius autem ex essentiali conceptu Jureconsulti, qui jus interpretatur & dicit, omnino fluit.

ASSERTIO VIII.

Legislatores autem non semper individuum, sed ut plurimum conceptus specificos, imo genericos exprimunt,

SCHO-

SCHOLION.

Eatur, ad hujus asserti veritatem indagandam, per inductionem, alia enim non datur via.

ASSERTIO IX.

Ratio est anima legis.

SCHOLION.

Non tantum requiritur ratio legis pro anima, ne lex sit caput mortuum, vel absurda sive irrationabilis; sed ea propter etiam quaerenda est ratio, ut nec infra nec ultra mentem legislatoris fiant applicationes & restrictiones. Ne ultra eam procedatur, restrictiones, ne infra, extensiones fieri dicuntur. Hoc est, ubique vera & genuina intentio disponentis eruitur, & restrictio vel extensio & ex mente & ex verbis quibus usus est, fieri poterit. Capiatur exemplum unde velit, & asserti hujus veritas est in aprico. Repeto superiora: Faciles sunt Doctores in allegando argumenta legum, sed ego puto quod inter quinque casus vix sit unus, in quo non differentiae ratio obstaret, & argumentantem repelleret. Aurea quidem est regula: Vbi eadem est ratio, ibi est eadem legis dispositio: Vel, idem est an in verbis, an vero in mente legis aliquid contineatur; Verum simile & affine non est idem.

ASSERTIO X.

Qui bene distinguit & limitat, bonus est Juris Interpres.

SCHOLION.

Distinguere & limitare, nobis unum idemque est. Toties enim distinguimus vel limitamus, quoties vult ultra mentem dicentis vel scribentis aliquid extorqueri, ad sui vel fingi. Veteres Jcti, in operibus
 B suis,

fuis, utuntur methodo haud contemnenda. Faciunt assertiones, limitant, sublimitant & ampliant. Placet speciminis loco producere FARINACII *opus practicum de testibus*, cujus inspectio docet, quod regulas posuerit autor & illis exaggerationes atque restrictiones subjecerit. Moderni Scriptores insigni artificio in id laborant, ut omnia reducant ad propositiones summas, quas ingrediuntur quaevis asserenda, ita, ut inde sobriae conclusiones omnes egredi queant. Laudo studia, modo artificium arceat ubique obscuritatem, & modo tot mere civilia patiantur nexum. Fiant etiam hypotheser.

ASSERTIO XI.

Vniuscuiusque vocis, nonnisi unus verus est sensus. Coetera quae circumferuntur; suspecta sunt.

SCHOLION.

Verissimum est, dari homonyma, sed non sine gravi periculo & detrimento veritatis. Dicunt, dari synonyma, sed tantum non plane falsum illud est, si scilicet spectemus linguarum puritatem; Quae enim vel luxuria, vel verborum in eadem faciente penuria, vel poetarum extorta necessitas innoxit, ea nihil curant critici, cuiuslibet voci veram & distinctam significationem vindicantes. Imploro omnes Philologos linguarum, praesertim latinae & germanicae, ut mihi suppeditent decem vera synonyma, herbam porrigam. Nolo autem pro cathedra statim, omnem pedantismum & inveteratos errores refutare, sed expeto mihi ali-quod meditandi spatium. Notentur characteres synonymorum & praesertim reciprocatio.

ASSERT.

ASSERTIO XII.

Interpretatio, quae vim atque potestatem legum ex verbis earundem eruit, atque hinc restringit & extendit, omnibus tamen casibus haud par est, quia leges interdum deficiunt.

SCHOLION.

Nihil periculosius in omni studio est, quam licentia interpretandi, restrictive & extensive. Fateor autem me imparem esse, ut exponerem satis mentem hoc loco meam qua hanc assertionem. Paucis me hinc expediam: Restringere est demonstrare, Legislatorem ficti praesentis circumstantias non ob oculos habuisse *volo*. L. 11. ff. de in jus voc. l. 67. §. 1. de R. N. l. 1. §. 6. de Aedil. edict. Conf. l. 1. §. 1. ff. de V. S. l. 13. ff. de LL. Extendere est demonstrare, Legislatorem talem casum, de quali jam sermo est, pariter sibi repraesentasse. Quoties igitur dicimus, lex est strictae interpretationis, toties verlamur in exemplo, quod legislator noluit trahi ad universalialia & specificia vel, si mavis ad generica; Hinc dicimus, in privilegiis, poenis, & haecenus licitorum correctionibus, non dari argumentum. Habere circa haec quae monerem, sed impediunt me alia; Asserere autem urget veritatis amor, quod interpretationis nova species sit cum Coccejo amplectenda, nempe *comprehensiva*, quippe quae semper locum inveniet, quando alias absurdum emergeret (utrum cum Rennem disp. 14. de princ. Jur. interpretatio conjecturalis statuenda sit, dubito.) Quoties autem extensive interpretamur, toties lex tantum habet exemplum ex pluribus exemplis, & licet ascendere ad universalialia, vel etiam sapienter concludere ex vi atque potestate legis, a majori ad minus, vel a minori ad majus, in vere sub-

bere possum summam, non ubique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te aestimare oportere, quid aut credas, aut parum tibi probatum opineris, vid. l. 3. ff. de testibus. Supplet igitur iudicis arbitrium illud quod deficit, debet autem illud esse juri analogum l. 2. C. de Sent. ex brevic. rec. l. 23. ff. de re jud.

Facultates juridicas, majorem facultatem arbitrandi habere, quam iudices ordinarios, evictum ante nos satis est. Conf. perpetua vox Nemeseos Carolinae: Nach Recht derer Rechts-Gelahrten. Solis furibus propter innumeras factorum varietates, etiam centum articuli non sufficerent. Quamvis enim fur possit suspendi, tamen a fure ad laqueum non valet consequentia.

ASSERTIO XV.

Deficiunt leges de factis nonnunquam, ob aliquam legislatorum incuriam, non enim ingeniose satis respexere ad casus possibiles.

SCHOLION.

Negandum non est, multos casus dudum determinari potuisse. Tanta tamen est specierum innumerarum varietas, ut supplendae leges videantur iudicio iudicis, sine lege expressa loquentis. In quibusdam provinciis obligati sunt iudices, in tali casu rescripta petere. Rariora ergo omnino erunt illa, qualia legislatores praeterviderunt, v. l. 3. ff. de LL. quamvis & nonnunquam in rarissima inciderint e. g. l. 12. C. de legit. hered. quae enim frequentius acciderunt, si non lege, tamen consuetudine sunt decisa.

ASSERTIO XVI.

Consuetudines, praeter leges, sunt jus non scriptum subsidiarium.

SCHOLION.

Distinctio inter consuetudines contra & praeter leges plerumque negligitur. Quae contra leges irrepre-
re, semper sunt suspectae, a primario enim requisito
rationabilitatis, cum injuria legislatorum, commendan-
tur; Sequeretur enim inde, leges esse irrationabiles.
Excipio casus, quorum defuetudinem inuexit tempo-
rum diversitas. In aliis enim primi a lege recedentis
Judicis, actio fuit nullitas insanabilis; Sive enim per
vitium intellectus, sive voluntatis, recesserit a lege &
contra jus in thesi pronunciaverit, sententia fuit nulla.
Praeter leges autem rerum similiter judicatarum ali-
qua merito est auctoritas.

ASSERTIO XVII.

Deficiunt leges etiam ob factorum in explica-
bilem qualitatem & conditionem.

ASSERTIO XIX.

Probabitur hoc inferius, per exempla. Hu-
mana sapientia & scientia circumscripta est; Iam
vero in veritatibus historicis, sive quaestionibus
factorum, omniscius saepe desideratur Iudex.

SCHOLION.

Sermo mihi est de casibus, in quibus ne quidem
media eruendi veritatem superfuunt. Sunt autem prae-
ter torturam spiritualem, sive desperatam juramento-
rum delationem & impositionem, media, torturae cor-
poralis

poralis, & ingeniosum captiosumque examen; Verum de examine per tormenta nolo differere & quod ad res articulorum, vel interrogatoriorum, non quilibet Oedipus, sed multi Davi sunt; Ne quid dicam de mendace bene memore, & de ingenio interrogandi, interdum interrogantis acumen superante. Quid si e. gr. altera ex meretricibus coram Salomone, quae dicebat: *Esh es theisen*, lamentabili voce deprecata fuisset, neutri proficuum divisionem, quorsum se vertere voluisset sapientia Salomonea. Sed sapientiae etiam gloria, ipso sacro Codice teste, inde acquirebatur, quia & tentasse laudis est. Danieli in historia de Susanna & duobus mæchis iudicibus, facile etiam tota sua re scisso rei iudicatae infeliciter cedere potuisset, quia actus erat iterabilis. Sed manum de tabula! Verum post haec omnia est illud Brunnemannianum: in iudicio extremo multae reformabuntur res iudicatae. De probatione artificiali differere non vacat; Omnino Imperator rescribens *l. cit. 3. ff. de testibus* voluit, ut iudex pro auctoritate dicat, quid verum esse, pro conscientia, statuatur.

ASSERTIO XIX.

Multi obscuri casus sunt decisi, verum non aliter quam sola auctoritate, stat enim pro ratione voluntas, atque hinc legislator nullis casibus de facto impar est.

SCHOLION.

In problematibus & mere civilibus aliter fieri non potest, quam quod legislator tandem se determinet, & unam eligat opinionem; Ne autem in iis, quae rationi subjacent, statuamus mere fortuita, semper in disponente fuit ratio visa sufficiens, & quam problematica etiam videantur causae, tamen ubique fuit ratio deter-

fossus est studiosus. Non tamen sine sale de occasionibus legum ferendarum debet judicari, non enim quodvis ingenium par est repraesentationi rationum.

ASSERTIO XXI.

Leges annariae & numerariae, ad eas, quae pallium rationis tantum habent, male referuntur.

SCHOLION.

Sapientia legislatoris, in determinandis temporibus & numeris omnis in eo versatur, ut quantitates sint inter defectum & excessum mediae: Soepe etiam dantur historicae rationes, quae fugiunt vel omnes, vel minus solertes. Nos, ex hisce principiis, rationem omnium istarum legum inveniendam esse statuimus.

ASSERTIO XXII.

Legislatorem nullis casibus (*ceu jam expressum*) impar est; Volumus autem id intelligi, salvis circumstantiis, minimis etiam, saepe rem variantibus.

ASSERTIO XXIII.

Controversiis juris plurimis par est legislator.

ASSERTIO XXIV.

Quoties igitur dantur casus pro autoritate decidendi, toties versamur in quaestionibus factorum.

ASSERTIO XXV.

Et quidem factorum specialissimorum.

C

SCHO-

SCHOLION.

Quid per facta specialissima intelligamus, haud difficulter constabit. Praefertim post obitum illorum, qui verba post se reliquerunt, in explicando ambiguitas emergit, quid nempe senserit defunctus, B. PUFENDORFF in illustri opere de *J. N. & G. L. V. c. 12. de interpret. §. 5.* proponit casum ex Cicerone: *Haeres mea movercae centum pondo vasorum argenteorum, QVAE VOLET dato.* Potuisset lis evitari, per pronomen *ipse* vel *ipsa*; Putat se invenisse fontem decidendi contra haereditem; sed videatur. Si casus in facto dabitur, respondebitur, ex juris analogia, vid. inferius de legibus quae audent asserere quando hic vel ille mortuus sit.

ASSERTIO XXI.

Omnes decisiones ex praesumpta testatoris voluntate sunt lubricae, multae oppido falsae.

SCHOLION.

Saepe non magis quadrant ad mentem defunctorum quam decisio Ducis d'Offuna, Pro Regis Neapolitani, quam idem Pufendorffius etiam allegat: Scripserat vir quidam, habens filium, heredes clericos quosdam, procul dubio ad ita scribendum inducentes, addideratque, quod filio danda haberent, *quae ipsi vellent.* Pronunciabat Judex, totam hereditatem addicendam esse filio, quoniam ipsi Clerici eandem volebant. Sane illa decisio erat pro summa autoritate, & continebat expositionem fraudulentae persuasionis.

ASSERTIO XXVII.

Omnes praesumptiones juris & de jure referendae sunt ad voces legislativas pro autoritate emissas.

SCHO-

SCHOLION.

Fateor tamen vulgo acceptatas, differre gradu, E. gr. foeminam | post biennium fidejussionem repetentem, praesumi certioratam, est violentissima praesumptio. Cur enim statuendum sit, foeminam, quae e. g. anno aetatis 40 fidejusserat, & anno 42 repetierat idem, intra biennium didicisse, quae per 40 annos ignoraverat, ego non video. Quod autem dicimus, filium in matrimonio natum haberi pro legitimo, etiamsi pater sit centenarius, fundamentum habere dicitur; sed cavendum, ne committatur fallacia non causae ut causae. Quod autem pergitur: *etiamsi mater contrarium dicat: etiamsi de adulterio convicta sit*, est casus pro amicis & gratiae erga prolem, quam conscientia iudicis spuriam declararet.

ASSERTIO XXVIII.

Soepe quando fiunt decisiones ex regula: *In dubio tutius*, pro voluptate, violenti sumus.

SCHOLION.

Quoties dicitur in dubio pro, ego non adeo sum contrarius. Favor partus, qui citior vel tardior esse potest, favor libertatis, defensionis &c. exigunt mitigationem. Et quoties illud: *non liquet*, fateri debemus, toties inclinandum est in benevolentiam. Illa autem regula: *In dubio tutius*, latius multo patet, quoniam ipsas quaestiones juris afficere solet.

ASSERTIO XXIX.

Decisiones litium per iuramentum desperatae sunt.

SCHOLION.

Delationes juramentorum, quando alienae conscientiae aliquid committitur, sunt ultima refugia. Iuramenta necessaria, quae praxis ex jure canonico invenit, in civilia praefertim, sunt media litem absolvendi desperata. Probatio per testes paulo melior est. Sed quoniam Reipublicae interest, lites aliquando finiri, bene introductum est, per provocationes ad iustitiam & testimonium summi numinis illas absolvere; Omnium desperatissimum est juramentum credulitatis; Verum haec sunt de genere mere civilium, quae non adeo rigore trutinari debent. Species decisionis pro autoritate inde patescit & Doctor Gantium practice recte dicit: *Der Eyd ist ein Ende alles Haders*, Hebr. VI, 16. Non vacat, in originem juramentorum inquirere; Credo tamen, quod sint juris naturae, quandoquidem enim Dei existentia omnia simul exhibet attributa, non potuit non inter duos etiam totius orbis fictos cives Non-Atheos, emergere inventum certiorandi per provocationem ad omnisium & iustum vindicem.

ASSERTIO XXX.

Decisiones litem per sortem ut plurimum desperatae sunt.

SCHOLION.

Non nego Deum omnipotentem concurrere ad quaedam fortis judicia; sed dubito, an semper concurrere velit: Quoties igitur partes & portiones sorte distribuuntur, quis est qui modum inadaequatum diceret; Quoties electiones celebrantur, coeteris ubique paribus, Dei concursus specialem, totus concedo. Sed quoties tota victoria & litem interesse committitur, calculo, toties versamur in medio litem dirimendi, pro sola autoritate subsidiario.

ASSER-

ASSERTIO XXXI.

Dantur casus, in quibus legislatores videntur
desperatas fecisse decisiones, sed sine necessitate.

SCHOLION.

Doctrina de accessionibus, praesertim qua specificationem, praebet exemplum; Sive enim veterum Sabianorum & Proculeianorum litigia, super quaestione: An materia sit praestantior forma, an vero contra? circa quam committebatur gravis lapsus philosophicus & logomachia crassissima, sive decisionem imperatoriam, ipsam litem hanc dirimentem, consideres, desperata & violenta determinatio, pro sola autoritate facta observatur. Quid enim, rogo te ipsum, facit ad rhombum distinctio, An res reduci possit ad priorem formam, nec ne? quid si e. g. ex pauciori argento artificiosissima thecula confecta: Tota causa accessionum ex principiis rei vindicationis erat tractanda, ita tamen, ut sapienter, de tigno juncto disposita, in censum simul venirent. Melius diremta est pro autoritate liticula, de termino pubertatis, inter Proculejanos, & Cassianos agitata, ridiculam turpem individuaalem, a corporis habitu determinationem rejiciens, & qua annos numerum ponens, salvis, in facto rariori, exceptionibus.

ASSERTIO XXXII.

Dantur casus, in quibus ex lubricis hypothese-
bus fiunt decisiones.

SCHOLION.

Onnium speciminum specimen sistit *tit. ff. de rebus dubiis*, ubi nimirum agitur de eo, quod juris circa comorientes, Distinguitur inter ascendentes & descendentes,

collaterales atque extraneos. Si pater et filius in eodem periculo perire, videndum, an filius fuerit pubes vel impubes; Hic ante, ille post patrem periisse censendus; In aliis casibus neuter praesumatur praemortuus. Distinctiones illae, si quae unquam aliae, pro sola autoritate factae sunt. Notetur adhuc audacia legum de quibus B. SCHOEPPER n. 128 d. t. ita: *nisi ex aliis legibus supervixisse alter alteri probetur.* Quomodo, quaeso, hoc ex legibus probabitur. Sed occupavit satis hanc materiam *sub illustri CARMONIANO praesidio, in hac Academia inauguratiter disputans Consult. Dn. D. BJRGMANNUS.* Quod per legem 56 ff de usufr. in quaestione usufructus, personae morali relicti, centum anni, pro termino vitae hominis longaevi ponuntur, est equidem determinatio admodum violenta, & analogiae juris qua restrictionem Ususfructus & qua assertiones de morte absentis praesumpta, non respondens, est tamen paulo melior, varias praescindens lites indeterminabiles. Si dicendum, quod res est, determinatio fieri debuidet, secundum ea quae haut rarissime fiunt.

ASSERTIO XXXIII.

Dantur decisiones, ex quibus elucet externum artificium, sed sine interna confidentia, quod suum cuique sit tributum.

SCHOLION.

Exempla passim occurrunt. Juvat unum de promere ex l. 13 ff de liberis & postb. Liceat totam legem, in gratiam omnis generis lectorum, de charta in papyrum transcribere; Si ita scriptum sit: Si filius mihi natus fuerit, ex hae heres esto, ex reliqua parte uxor mea heres esto; Si vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres esto, ex reliqua parte uxor hae esto, & filius & filia nati essent, dicendum

cendum est, *asset* distribuendum esse in septem partes, ut *ex* his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat, *ita* enim secundum voluntatem testantis, filius altero tanto amplius habebit, quam uxor: item uxor altero tanto amplius filia: licet enim subtili iuris regulae conveniret, ruptum fieri testamentum, citamen quoniam ex utroque nato testator voluerit uxorem aliquid habere, ideo ad huiusmodi sententiam humanitate suggerente decusum est: quod etiam *Juvenio Celfo* apertissime placuit. Nemo negabit decisionem hanc esse ingeniosam argue pro matre benevolam, quae *Juvenio Celfo* ob humanitatem suggerentem placuit; Verum, quid si defunctus demente sua quaeri posset? Et ubi est legitima filiae?

ASSERTIO XXXIV.

Leges nonnunquam ultra omnem definitionem divinatorie factae sunt.

SCHOLION.

Exemplum capio ex *l. 68 ff ad L. Falcidiam*, in qua tantum non divinatorem agit *D. Imperator*, traditurus, ultra omnes legislatoris limites, quam diu hic vel, ille vivere dicendus. Est illa lex una ex testibus, quam inconsultum fuerit pandectas conficere ex tot *Doctorum* libris & nolle uti voce imperatoria haud mutuatitia. *Ulprianus* e, gr. suo tempore, ut *Doctor*, scribit, de lege, quod iniqua sit, additque: *Sed ita scripta est*: Imperatoris in animam haec repetunt excerptes: En lapsum gravissimum. *vid. l. 12. ff qui a quibus manum.*

ASSERTIO XXXV.

Dantur tandem casus qui nullo ingenio determinari possunt, adeo ut, nisi transactio locum inve-

ne,

nerit, ad divisiones vel etiam sortem refugien-
dum sit.

SCHOLION.

B. HOPPIUS in *Exam. Inst. tit. de J. & J. qu. 5.* sibi repraesentat casum, in quo utriusque litigatoris aequale est jus suadetque transactiones, quod laudandum: Vult peritiores esse consulendos; Sed, pace tanti viri, posterius consilium non quadrat. Si enim defectus decisionis tantum est in imperitia iudicis, casus non est talis, qualis erat in quaestione. Si enim vere talis datur, id quod per dubia conventionum verba, vel facti incidentis conditionem inexplicabilem nonnunquam fatendum est, omnino, etiam in contradictorio fors vel divisio locum habere debet. Debet, procul dubio, iudex esse difficilis ad decernendum divisiones, talia enim decreta sapiunt ut plurimum mores leviter iudicantis & indaginem reformidantis.

Dantur igitur casus, quales nonnullos ex laboribus novissimis Facultatis communicavit Dn. PRAESES: E. gr. In iudicio Ratzeburgensi, in ultimo ipso momento subhastationis, quasi una eademque voce duo idem obtulerant pretium: Sorti res committebatur. In alia causa Strelitzenfi litigabatur, ex contractu antichretico, qua impensas reparandi vento dejecti aedificii, compromittebatur in Facultatem hujus Academiae Iuridicam, & non supererat alia via explicandi verba contractus, quam quod uterque damnum ferre deberet. Interpretatio verborum aequivocorum nulla, post obitum primorum contrahentium fieri poterat, & quod ad regulas: *In dubio pro illo, vel illo: Interpretatio fiat contra illum qui clarius loqui debuisse,* lubricae sunt illae in applicatione, quam bene etiam sonent. Testatores soepe, seu supra jam dictum, post se relinquunt aenigmata,

gmata. Haud tamen diffiteri licebit, quod passim fluctus in simpulo faciant, imo evidenter erant Juris nostri dispositiones. In jure accrescendi enim, & aliis casibus, qui ex præsumta testatoris voluntate deciduntur, præter omnem necessitatem sunt decisiones pro sola autoritate, imo violentæ. Violentissima omnium est in assertio: Conditiones impossibiles pro non adjectis habentur: Nisi si forte ita se habet mens legis, quod absurda in testamento scriptæ ex officio pro deletis sint, in poenam absurditatis, habenda, vel fingendum, qua illa verba scribentem haberi pro stulto & furioso.

ASSERTIO XXXVI.

Omnis, ait lex 202. de R. I. definitio est periculosa.

SCHOLION.

Mirabitur forte unus vel alter lectorum, quod hanc assertionem non in fronte, ubi de definitionibus agi solet, sed in calce dissertationis in scenam producimus. Ast salva res erit, si nobiscum consenserit in explanationem vocis: *Definitio*, illamque non in sensu logico, sed pratico-juridico acceperit; Definire enim est legislatoris & Judicis, & non ablutit a vero, quod difficile & periculosissimum sit aliquid definire.

Notorium est ex historia literaria Jurisprudentiæ, decisiones & definitiones promiscue sumi, ceu vulgatissimum Carpzovianum ad Constat. Sax. opus omnibus probat. Sunt adhuc multa, in quibus communem opinionem deserere juvaret. E. gr. l. 3. ff. de const. primo. Qui primus fuit ausus substituere loco: *plenissime, latissime*, is redemptioni vexæ adhucdum erit obnoxius. Imo nihil datur singulare, nam & privati verba plenissime interpretari debemus; Totaque distinctio inter late &

D

friete

estricte suspectissima & confusionum mater est. Ad-
jicimus superioribus quod omnis lex fit decisio.

ASSERTIO XXXVII.

Sententiae summorum principum, secundum
solam facti veritatem, quae dicuntur *Macht-Sprüche*,
sapiientissime sunt ferendae.

SCHOLION.

Est quaedam logomachia in conceptu veter *Macht-
Sprüche*. Qui rem per exempla sobrie non intelligunt,
videntur putare, ac si plane tumultuariis cognitioni-
bus, causas decidere affectent. Non ita, quoniam ea
ratione procedere, ut nullitates insanabiles praetervi-
derentur, non foret justis iudicis. Legatur omnino
B. STRYKII *diss. de iudicio principis juxta solam facti veri-
tatem p. 15. f. ubi illustrat exemplum.*

ASSERTIO XXXVIII.

Prudentia naturalis feliciter saepius iudicat,
quam summorum artificum eruditio iuridica, &
quidem & pro autoritate & pro conscientia.

SCHOLION.

Ipsium artificium pro luce in praxi laborans, dat
occasionem iustitiam protrahendi & fortunam iurgio-
rum invehit. Separetur abusus ab usu & distinguatur
inter vitia scientiae & scientium. Non secundum con-
scientiam, sed juxta acta & probata esse pronuncian-
dum, vulgatissima est regula. Recte! non enim ap-
probare volumus iudicia Vehmica; Sed arduum est
iudicantium officium, B. STRYK. *diss. de cit. iudicio princi-
pis, juxta solam facti veritatem, §. 3.* his utitur nobilibus
verbis: *Plus spei superasset, si iurium imperiti, prudentia ta-
men naturalis pollentes & experientia negotiorum publicorum in-
stru-*

fructi, huic negotio adhibeantur, ut illi ductu naturalis prudentiae modum praescriberent, quomodo subditorum controversiae levato velo, prout in l. 5. C. de naufrag. dicitur, componerentur. Liceat antiquum specimen processus criminalis, ante Constitutionem Criminalem tractati huc referre: En integra acta Rostochiensia: Anno MDXVI, am Fridaghe post Egidii Abbatis quam vor Gherichte H. S. kumme syner Deverie willen, so dat He un eyr ghenomet Hartich hebben nomen eynen Manne viss eler Drosser want he behelt dat want by sief und ghynck na der Keynmolen un legde dat want in den Rogghen. Noch heft he bekand dat he best stolen eynen manneghet en Nobel nyne dem Closterhove tom Hilgen cruce viss mark sundsch. Noch heft he bekand dat he best stolen twe plochsticken tom Siverdesbagen ock twe plochisern. Noch heft he bekand dat he stolen tor Schutow eyn Lam. Noch to Dramov twe Gbse Hierup is he gekommen in de Hechse uthe der Hechte to rechte unnde eme is ghebraghet eyne twee drye wat he darto sede, dar he ja to sede unde bestand des Hierup gaf Ordel un recht Dat he schal den Band daromme syden unde me schal eme uthe den Dore leden unde me schal eme in den Ghalghen henghen. Unde dyt alle van worden to worden heft he bekand in bywensende . . . In substantialibus, praesertim, qua corporis delicti investigationem, nihil neglectum fuisse ipsa naturalis ratio dicitur & praesumptio est pro iudice. Conf. SCHLEENSTEIN, de inquisitione DEI in Adamum & Evam, Legatur elegans disp. B. FESTINGII Jcti Rostoch, de quaestione: An apud Romanos potuerint esse iudices qui legum imperiti, hab. 1688. De moribus veterum Germanorum leg. III. HEINEC. Elem. Tom. 2. p. 353. sq.

ASSERTIO XXXIX.

Summarii processus gloria est, quod substantia

D 2

tialia

tialia haud negligentur & quod non degeneraverit in tumultuarium.

SCHOLION.

Legatur *clem. 2. de judiciis*, ubi jubetur processus fieri simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura judicii. Legantur Commentatores. Romani Praetores, extra ordinem & de plano pronunciantes, non injuste pronunciarunt. Et quoties dantur restitutiones in integrum ex clausula Praetoris: *Si qua iusta causa tibi visa fuerit*, multum autoritatis interponitur, sed non sine conscientia certa. Quod ad processum executivum & mandata sine clausula, facile utraque pagina defenditur adversus imputationes, ac si autoritas limites justitiae transiliat. *Leg. Exc. LEYSER. Med. 216. n. 1.* ubi *lex 55. sam. excise.* adhibetur ad justificandum pronunciatum in quo, ceu loquuntur rationes, ex aequo & bono durchgegriffen.

ASSERTIO XL.

In criminalibus decisiones pro sola autoritate locum, vel plane non, vel difficulter, inveniunt.

SCHOLION.

Sermo nobis est de atrocibus & gravioribus; in causis levioribus, praesertim quoties litagos intra & extra muros peccatum fuit, non adeo scrupulose procedendum erit, ne deficiat dies cognitionibus destinandi. Probationes in gravissimis debent esse luce meridiana clariores, & in dubio pro inquisito, quia proniores debemus esse ad absolvendum quam ad condemnandum. Satis constat, nos respicere ad irrogationes poenarum ordinariarum; Si igitur Princeps, gratiam impertiturus, dationes pro redimenda vena admittit.

admissurus vel abolitionem iussurus, vult processui finem pro autoritate imponere, diversae sunt quaestiones. Quae sint jura decumationis; in quibus pro autoritate procedi videtur, non patitur pagina. Conf. pronunciatum in B. SCHOEPF. *Synops. tit. ad L. Corn. de Star. n. 30.*

Expedita est mea causa, qua lineamenta; Ipse enim totus fateor, quod multa huc facientia scribi potuissent; Concedo, quod meae assertiones melius ordinari & exasciatius fieri debuissent; Sed Lectores gratiosos. expecto spondeoque cum DEO & die meliora.

S. D. G.



MANTIS.

MANTISSA PRAESIDIS,

DE QVAESTIONE:

Wie viel Geld in einem Beutel, der
wie ein Kopf groß?

Thema dissertationis hujus, quod, me suafore, Dominus Candidatus elaborandum accepit, repetitionem casus, anno 1732 Facultati nostrae oblatae, imponit. Erat autem sequens: Es waren in einer Mecklenburg. Stadt, | ni fallor, Crivitz, drey Brüder gewesen: Der eine hatte sich in ferne Lande begeben, der Zweyte war in der Stadt wohnhaft geworden, und bey demselben hatte sich der Dritte, welcher in der Stille vor sich hin, unverheyrathet gelebet, zuletzt aufgehalten. Der gegenwärtige Bruder hatte den Dritten, bey ihm sterbenden, beerdigen lassen, und seinen etwanigen Nachlaß an sich behalten: Darauf war er auch gestorben, und der erstere kam nach einiger Zeit zurücke und foderte von denen Kindern des Mittlern die Helffte des Nachlasses des, besagter massen, verstorbenen Bruders. Es fehlte am Inventario und die beklagten Kinder wußten von nichts. Doch war es überhaupt nicht zu läugnen, daß der Mensch qu. weil er fleißig und genau gewesen,

sen wohl etwas nachgelassen hätte. Endlich ward eine Weibes Person ausgemacht, die dem Verstorbenen, bey seinen letzten Lager, Handreichung gethan, und dieselbe sagte bis dahin summarischer aus, d.ß der Verstorbene, kurz vor seinem Ende, sich von ihr aus einer Lade, einen Beutel mit Gelde, der so groß, wie ein Kopf, reichen lassen, umb sich daran oder daraus zu erquicken. Es ward also zum objecto der actionis familiae erciscundae gesetzt ein Beutel mit Geld, der wie ein Kopf groß; Veniebat ergo in quaestionem: Wie viel Geld es gewesen?

Facultas interrogata respondebat: Daß gewisse articuli zu übergeben, worüber die Zeugin rechts- gewöhnlich zu examiniren: Darauf denn, in Bey- haltung derer in loco besser bekannten Umstände, weiter etc. Quid igitur videtur ingenio pollentibus? quomodo esset hic casus decidendus? Logica probabilitium thema haud inelegans in eo habet. Me- judice, quia nullo juramento, neque actoris ne- que reorum, ne quidem de credulitate, causae consuli poterat, variae hypotheses fieri deberent & tandem pro autoritate decidendum esset. Sup- ponatur igitur a) non certari de nihilo: conside- rentur b) conditio defuncti utriusque & c) qua- litas dicentis; Cogiretur d) locutionem esse prover- bialem & e) homines infimae caveae, videntes quan- titatem pecuniae, soepe aliis parum momentosam,
E facile

facile exclamare & dicere etiam vom Scheffel Feld. Statuatur f) pecuniam esse a veterano collectam, unde non putandum, quod monetae genus fuerit ex obulis vel assibus constans. Credatur g) non fuisse aureos, quoniam ejus farinae homines difficulter aureos nummos colligunt, dum lubentius thaleros vel argenteas monetas, tertiam vel duas tertias imperialis continentēs, coacervant. Et tandem fiat decisum ex circumstantiis probabilibus, collato populari loquendi more, in quo, ceu jam monitum, plebeji facilius in tali casu excedunt, quam quod extenuent e. gr. videntes pomum majusculum, facile dicunt, der Apfel sey so groß gewesen, als ein Kopf, wenigstens als ein Kinder-Kopf. Multa spero per examen in loco illustrari potuisse; Debat enim judex implorari, ut crumenas haud vacuas, mox majorem, mox minorem, testi exhiberet, interrogaretque jurato. Ob der Beutel wol so oder so groß, oder wie viel er wol grösser oder kleiner gewesen? Paucis, quia sine injustitia ab olvi non possent heredes, existentiam alicujus massae haud negantes, pro auctoritate aliquid statuendum erit. Ponantur Imperiales. Ego numerum cuilibet Lectori inferendum relinquo. Tibi autem,

CLARISSIME
DOMINE CANDIDATE!
 AMICE HVMANISSIME!

gratulor tuum propositum. DEVS det tuis laboribus

bus incrementum, quo ingenium atque iudicium ita versentur in jurisprudentiae objectis, ut quilibet, te casus rimantem, sentiat te esse Virum. Spondet disputatio tua talem praxin, quae cum acumine jus ad factum applicabit. Esto in futura vita sacrosanctae Jurisprudentiae Doctor: sacrosanctae inquam, quoniam nostro studio illustri nemo illud epitheton invidebit. Vides & successive magis experieris, arduum esse iudicantium officium, & felicem esse illam tantum Rempublicam, ubi Imperantes & iudices philosophantur, h. e. non sunt oppositum sapientiae. Jungatur ramen tum ideis universalium consideratio rationis status & quorundam hypotheticorum, vel etiam mere civilium & bonus habebere Jctus. Quod autem ad tuam disputationem, non licuit mihi longae illam subijcere analysi, vel multis curis revisoriis; Non enim sufficio omnibus, quae mihi imponuntur, sunt in illa variae assertiones, quas Benevolus Lector approbabit, alius vero taxabit. Taxet ergo & simul expromat meliora, Tu haud morosus eris, Qua ordinem & methodum habuissim monenda; Sed debui hoc opusculum aliorum iudicio relinquere. Num idem bis dixeris, vel etiam aliquando tibi contradixeris, ipsae videas: Num in tuis assertionibus vel scholiis plus vel minus sit, num digito tantum monstraveris vel demonstraveris ea, quae tibi vera fuere visa, te feriat. Disputationes inaugurales, me praeside habitas & quae non feci ipse non mea esse puto. Putent & idem, rogo
alii

alii, & imitentur illos, qui allegantes eâdem, nequidem Praesidis mentionem faciunt. Adauge *Dilectissime Amice!* feliciter tuam scientiam in illustri Salana & hac Nostra per annos acquisitam & omnibus te commenda laude eruditionis & virtutis. Ita agens DEI gloriam & Reipublicae salutem promovebis, *Admod. Reverendo DOMINO PARENTI, Fautori & Amico meo charissimo*, totique familiae eris gaudio atque ornamento. Dabit & Justinianus, praeter honores, opes & felicitatem, promisit enim ille Imperator cupidæ legum juventuti, peracto labore, partes Reipublicae credendas; Ora ergo & labora! Dab. anno

1741. d. 15. Martii.

P. S.

Observavi percurrans tuam dissertationem, *Cl. Dne CANDIDATE!* te passim in singulari & alibi in plurali scripsisse; Est res quidem arbitrii, sed variatio offendere posset Lectorem minus aequum. Forte voluisti indigitare, quoad aliquos passus te sequi meas, ex collegiis observatas opiniones. Quicquid sit. potest unius dissertatio, si spectes consensum, esse duorum. Tandem moneo, quod p. 8. lin. 21. legendum sit: Aliud enim est *non sine lege*, hoc est *non sine autoritate*. κ. τ. λ. Coeteros hypothetae errores, quia sensum non turbant, gratiofus Lector ipse corriget.